

se septembri, cum ante idus sextiles Severinas imperator interiisset. Egerat illud idem etiam cum Senatu Veneto Pontifex per suum apud ipsos internuncium Nicolaum Francum Episcopum Taurisanorum, qui civitatem & hortari & monere non destiterat: sed nihilo minus irritus omnis ejus conatus fuit: quoad fessus belli dispendio Sigismundus (alere enim exercitum non poterat) missis saepe inter eos legatis fœdus cum Venetis percussit idibus novembbris. Fœderis conditiones fuerunt, uti bello ablata, quæ antiquitus eorum, qui amisissent, fuerint, restituerentur: & negotiatoribus Venetis damna illata sarcirentur: quæ superessent inter eos res, quibus de rebus non convenerat, de iis Innocentii judicium esset. Is finis bello Rhetico fuit. Milites deinde in hyberna sunt deducti, dimissusque ob rempublicam segniter gestam Julius Camers. Roberti vero duo liberi, Gaspar atque Antonius, in seipublicæ militiam conscripti, sexcentis equitibus præficiuntur: centurionesque aliquot, qui egregiam operam navaverant, donis militaribus aucti: quorum uni etiam dos filiæ numerata, auri ternæ libræ. Erantque jam Sebastianus Baduarius, Bernardus Bembus, pater meus, legati ad Innocentium profecti cum aliis de causis, tum ut apud illum de castellis Nomio & Ivano captis a Veneto exercitu, de quibus erat lis, disceptarent.

1487

Pax inter
Venetos &
Sigismundum.

His ita constitutis rebus, quod exhilarata pacis nomine civitas jam etiam ante hoc bellum in omnem luxum domesticum sese effuderat, infrequentis anni initio leges sumptuariæ revocantur. Itaque cœnis pavones, phasianæ aves, lautioresque epulæ, cubiculis stragulæ vestes ex auro, argento, purpura interdicuntur: omnis ornatus mulieribus decem auri libras excedere non permittitur: ampla delatoribus præmia, servis insuper libertas decreta. Quanquam caverant etiam patres in Rhetici fervore belli, ne alea, ne ve ullo alio præter ludum latrunculorum cum in urbe, tum per XXV. millia passuum extra urbis fines in pecunia luderetur, exceptis nuptiarum celebritatibus, & cauponis, & ea fori parte, quæ ad columnas est, atque

1488

Legum mul-
tarum la-
tio.